Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, EXHIBENS SPECIMEN DE MORBOSO METEORORUM IN CORPORA HUMANA EFFECTU,

QUAM,

AUXILIANTE SUMMO ARCHIATRO,

EX INDULTU

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRO OBTINENDIS

Summis in arte honoribus

ET

PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

SOLENNI ET PLACIDO

ERUDITORUM EXAMINI

h. lq; c.

Ad diem Octobr. M DCC XXVI.

SUBMITTET

GABRIEL SCHENDEL, Ged. Bor.

ARGENTORATI

TYPIS JOHANNIS HENRICI HEITZII.

VIRO ILLVSTRI,

MAGNIFICO, GENEROSISSIMO,

MAXIMEQUE STRENUO atque

EXCELLENTISSIMO,

DOMINO

JO. GODOFREDO à DIESSELDORFF,

REIPUBLICÆ GEDANENSIS

PRÆ - CONSULI

GRAVISSIMO,

PATRI PATRIAE BENIGNISSIMO

MAGNO MUSARUM MÆCENATI,

HOCCE QUALECUNQUE STUDIORUM
SUORUM ACADEMICORUM
SPECIMEN,
VENERABUNDAM SUAM TESTATURUS MENTEM,
SUBMISSA, QUA PAR EST, ANIMI
DEVOTIONE DAT, DICAT,
CONSECRAT,
GENEROSISSIMÆ MAGNIFICENTIÆ SUÆ

Addictiſſimus Cliens
GABRIEL SCHENDEL, Ged. Bor.

PROOEMIVM.

DE *Meteororum in corpora humana effectu morboſo* dicturus facile perſpicio, dari plures, qui objicere poſſent, ſupervacaneam fore contemplationem, quam aggredior, præſertim cum ipſe Divus HIPPOCRATES ſe de Meteoris diſſerere non opus habere aſſerat. Aſt ſicuti pronunciata Authorum non ſtatim ſimplicisſime ſunt exponenda, præſertim ſi in ipſorum libris talia inveniantur aſſerta, quæ dictis lucem affundere queunt, quale quid hac in re occurrere

me-

merito notat celeberrimus LENTILIUS in Eph. Nat. Cur. Dec. 2. ao. 7. app. p. 50. ſq. ita cum magis experientia quam meris hallucinationibus innitendum ſit, & quotidiana fere loquatur Praxis, Meteora tum per ſe, tum per accidens, corpora noſtra alterare inque ſtatum præter naturalem haud raro conjicere, non omnino fruſtraneam me luſurum operam eſſe judicavi, ſi Diſſertatione Inaugurali qualescunque profectus in arte meos Publico comprobaturus, Theſes quasdam de Vita & Sanitate vario Meteororum luſu labefactata atque læſa & haud raro erepta in chartam conjicerem, Deum T. O. M. precatus conatibus clementisſime adſit. Lectorem vero Benevolum rogito auſibus benigne faveat.

§. I.

QUod ſi prolixe Thema propoſitum elaborare licuiſſet, utique totam Doctrinam de *Meteoris* præmittere potuiſſem, potuiſſem quoque de Effluviis eorumque præſertim effectibus variis verba facere; verum quoniam non tam Phyſicum quam Medicum agere mihi nunc incumbit, ideoque omiſſis his ambagibus, ad Meteororum noxios in corpora mortalium effectus brevi ſermone perſcrutandos me accingo. Diſtingui ſolent cum SPERLINGIO aliisque *Meteora* in *Hypoſtatica* ſive vera, quæ eam, qua prodeunt, faciem obtinent realem, & *Emphatica* ſeu apparentia, quæ Emphaſin nudam & inanem ſpeciem habent, & ſunt ſaltem mendax ſine re ſimilitudo. *Hy-*

poſtatica

poſtatica rurſus dividuntur potiſſimum in *ignea* , *aërea*, atque *aquea* , juxta quam diviſionem etiam haſce Theſes diſtribuam, dicturus primo de Meteoris Hypoſtaticis aqueis.

§. II.

Inter Meteora aquea, quæ ex particulis aquoſis in aerem elevatis atque diverſimode diſpoſitis oriuntur, primo loco prodeat *Ros*, der Thau/ Meteorum iſtud nocturnum Solem Occidentem inſequens, Orientem vero antecedens. Hic *Ros* jam, licet inſignes uſus præſtet, nihilominus magnas quoque ſecum trahit noxas, Hominibusque ipſis haud raro evadit inimicus. Licet hic allegare verba Magn. h. t. Rectoris Dn. JOHANNIS BOECLERI , Hoſpitis hactenus mei colendiſſimi, quibus, in Diſſertatione de Rore, hocce roris vitium exprimit. *Non adeo tuto ambulationes ſub arboribus roriſluis quandoque peraguntur , nec etiam tuto in rore, nudo præſertim pede, deambulant homines, multo minus confert nudo corpore*

ſe

ſe ſe in eo, uti quidam ſuadent, volutare, quoniam ſic facile pori in corporis habitu obſtruuntur, tranſpiratio illa ſic dicta inſenſibilis, ad vitam conſervandam tam neceſſaria, per conſequens impeditur aut tollitur, unde quam plurimi ſubſequuntur morbi, ut haud adeo inepte lepram & imprimis ſcabiem in rore contrahi ex PLUTARCHO *doceat* MERCVRIALIS. Sicuti autem porro *Ros* diverſa admodum corpuſcula conjuncta habet, ita ut & ſalia & ſpiritus inde eliciantur, quibus mediantibus elegantiſſima confici poſſunt vix non immortalitatem, ex vanorum Alchimiſtarum perſuaſione, conciliantia medicamina, ita quoque ob modo dictas particulas præſertim ſalinas alvi excitare fluxum, varia tormina producere & gracilitatem inducere nimiam capax eſt. Simili modo ac aliis animalibus ſua ſubtilitate aut aquea humiditate inteſtina penetrat, & quandoque usque ad interitum nimis commovet. Illapſus quoque frugibus *Ros* neque exinde deterſus præſertim, ſi

ſi nimis ſcateat partibus ſalinis aut etiam aliis adverſis ex locis paludoſis & inſalubribus exhalantibus, nocet. Nec minus *Ros Hyemalis*, der Reiff/ *Pruinam* loquor, quæ quidem quandoque etiam vere & æſtate decidit, ſimiles effectus noxios producere poteſt, unde obſtructis in peripheria corporis foraminulis, humores excernendi retinentur, ita ut non mirum ſit, quod exinde Catharrhos, Coryzas, Tuſſes imo quandoque Febres exoriri experientia teſtetur. Imprimis autem *Aura* ſic dicta *Serotina*, quæ alias vocatur *le Serein*, inde forte ducto nomine, quod ſereno tantummodo cœlo, nullis nubibus obducto nec imbribus fœto, nec ventis infeſto, deſcendat, uti haud adeo inepte autumat HONORATUS FABRI, qui mala hujus auræ pluribus deſcribit. Haud paucis adeo noxia exiſtit, ut quaſi peſtilentem auram auræ huic ſerotinæ poſtponant, imprimis autem iis obeſt, quibus rarior laxiorque fibrarum partiumque eſt conſtitutio. Cerebrum præterea ſtringit, de-

flu-

fluviis deſtillationibusque anſam præbet, fibras quoque vellicat atque lacerat. Dolores dentium atque capitis infert, ſomnum arcet, aliquando hæmorrhagiam narium conciliat, caput fatigat, coryzam variosque catarrhos, raucedinem, tuſſim, imo haud raro febres efficit. Obſervant autem quod ſub æquinoctio hæc aura malignior exiſtat, ut & iis in locis, in quibus halitus minerales venenatique extolluntur.

§. III.

Quod ſi hinc humidam aeris tempore nebuloſo nubiloſo atque pluvioſo conſtitutionem conſiderare volumus, facile patet, quid & ab hiſce Meteoris in corporibus expectari poſſit mali. Certe & tum externam corporis ſubſtantiam flaccidam reddere debilitareque, tum etiam internam ſtructuram relaxare varieque immutare atque lædere humidum nullum eſt dubium, quibus ex cauſis utique diverſi quoque exoriri poſſunt morbi. *Nebulæ*, die Nebel/ Inambulantium crines & veſtimenta notabiliter humectantes, & cum

aëre inſpiratæ ad pulmones, partim etiam ad ipſum ventriculum delatæ, laſſitudines cauſantur, defluxionibus Catarrhalibus, Febribus, alvi fluxibus, Tuſſi, aliisque morbis, colluviem ſeroſam pro cauſa agnoſcentibus, fores aperiunt, graviora quoque adhuc mala producunt, præſertim ſi ex locis uliginoſis paludoſis aliisque inſalubribus fuerint elevatæ, aut ſi ejusmodi ſcateant exhalationibus, quæ fœtorem quoque iis conciliant. Acredo enim humiditati juncta acerbiora quoque generat ſymptomata. Adde quod nebulæ, haud raro ſolis ſplendorem per diuturnum ſatis tempus arcendo, corpora noſtra exoptato ſpolient fotu. Nec obſtat, quod aſthmatici in nebulis quandoque ſolatium inveniant, cum & hac in re valeat tritum iſtud, nil prodeſt quod non lædere poſſet idem. Haud abſimilem noxam inferre poſſunt *Nubes*, die Wolcken/ præſertim ſi cœlum diu occupent, inque aëre natent. Vulgus in ea verſatur opinione, ut credat aerem tempore nubiloſo longe graviorem eſſe

quam

quam ſereno; aſt fallitur quam maxime, contrarium aſſerente Argento vivo, in Tubis Toricellianis ſive Barometris eo tempore delabente. Nec patrocinatur errori, quod homines non ſolum modo laſſitudinem regnantibus nubibus experiantur, ſed & minus alacres deprehendantur, cum iſta potius ab aere interno magis expanſo hacque ratione circulationis opus turbante difficiliusque reddente, quam ab aëris exterioris adaucto pondere dependeant. Obeſſe autem magis ſolent, ſi in *pluviam*, den Regen/ reſolvantur, teſtantibus veritatem aſſerti iis, qui etiam æſtivis menſibus diu per depluentes undas iter facere coguntur. Solet communiter *pluvia* diſtingui in *ordinariam* & *extraordinariam*, atque *miraculoſam*, qualis utique eſſet, quæ in regno *Senega* contingere a nonnullo recenſetur, qui non niſi aquam ferventem corporaque comburentem de cœlo ibidem deſtillare forſan ſomnians aſſeruit. Mihi jam autem non eſt ſermo de miraculis, ſed de pluviæ

 ordi-

ordinariæ ſpecibus: *Stillicidio*, dem Riſeln / *Pluvia*, dem Regen / Imbre, dem groſſen Regen / *Nimbo*, dem Platz oder Schlag-Regen / atque *Fragmine nubium*, dem Wolcken-Bruch. Pluviam jam & frigiditate & humiditate ſua ſuperius memoratis malis occaſionem præbere, extra dubium eſſe videtur, ſicuti & copia animantia ſubmergere ſuffocareque poteſt. Inſignes jam ſuo tempore de tempeſtatis pluvioſæ damnis formavit prædictiones divus HIPPOCRATES in aureis ſuis aphoriſmis, e quibus brevitati ſtudens unius tantum mentionem injiciam. Eſt is Sect. 3. Aphor. 16. cujus pars prior ita ſe habet: *Aſſiduis imbribus qui morbi incidunt, hujusmodi fere ſunt, Febres diuturnæ, alvi Profluvia & Putredines & Epilepſiæ & Apoplexiæ & Anginæ.* Cum porro Pluviæ haud raro ſe immiſceant Effluvia Salina, Sulphurea, Fermentabilia, Putrida &c. id quod etiam de Nebula valet, utique inſignes læſiones atque deſtructiones inducere apta eſt, præſertim ſi etiam

etiam intra corpus aſſumatur. Notum autem eſt, quod pluribus in locis pro potu ſoleat uſurpari aqua pluvialis. Moebius in Inſtit. ita de eadem loquitur : *Aqua pluvialis ſeu cœleſtis tenuis eſt & ſubtilis parum de Nitro volatili participans, Menſe Martio & Aprili (cum vitioſos vapores eo tempore terra ſuppeditet) ut & in locis paludoſis & ubi mineralia effodiuntur, non omni vitio carere videtur. Melior alio tempore & in locis ſalubribus decidens.*

§. IV.

Si jam porro ex alto delabentes guttæ in globulos glomeresque variæ magnitudinis figuræque congelaſcant , non ſolummodo frigus ipſius aeris adaugetur, ſed & animantia variis modis percutiunturi, ut a contuſionibus tumores ſugillationesque inſignes exſurgant. Imo *grando*, der Hagel/ tantopere ſæpe furit,ut vix non in momento omnia proſternat, ipſosque homines, quos offendit, interimat. Habemus illuſtre hujus rei exemplum in SACRA SCRIPTURA,quando

Cap.

Cap. 10. JOSUÆ. ℣. 11. hæc leguntur verba: *Cumque inimici fugerent coram filiis Israël, & eſſent in deſcenſu Bethoron, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo usque ad Azeca, & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant Filii Iſraël.* Ex nubibus quoque depluit *Nix*, der Schnee/ quæ & egregios præſtare uſus, & haud exigua inferre nocumenta poteſt, uti hoc egregie exponit THOMAS BARTHOLINUS in eleganti tractatu de USU NIVIS Medico, ex quo ſequentia delibare libuit: Maximum viatoribus impedimentum profunda nix offert, qua ſubinde vel detinentur immoti vel ſubmerguntur. In Alpibus id haud raro contingit, ubi *Nix* ſive a pluvia ſive calore ſolis ſemiliquefacta ſive a ventis ſive alia cauſa, ſono campanarum, exploſione ſclopetorum voce clamantium, aut dum v. gr. per aviculam aliquid ex arbore præcipitatur in globos aut glomeres tantæ magnitudinis convolvitur, ut montes altitudine adæquent. *La-*

binas.

binas, aut *Leænas Nivales*, Schnee-Lö-winnen/ Lowinnen/ Louwinen/ Schnee-Brüch/ Schnee-Läſt/ vocant, quæ maximo cum impetu ex altiſſimis præcipitatæ montibus frequenter arbores eradicantes quævis obvia proſternunt, & omnia occurrentia animalia, quandoque cohortes hominum cooperiunt, & interficiunt, unde jam CLAUDIANUS cecinit:

- - - - Multos hauſere profundæ
VASTA MOLE nives, cumque ipſis ſæpe juvencis
Naufraga candenti merguntur plauſtra barathro.
Interdum ſubitam glacie labente ruinam
Mons dedit.

Et SILIUS ITALICUS hoc modo locutus eſt:

Tum qua durati concreto frigore collis
Lubrica fruſtratur canenti ſemita clivo
Luctantem ferro glaciem premit, haurit hiatu

C Nix

Nix reſoluta viros, atque a culmine præceps
VIVENTES turmas operit delapſa ruina.

Meretur de his Leænis nivalibus conſuli Celeberrimus Dn. D. JACOBUS SCHEUCHZERUS Tigurinus, qui ſicuti de aliis Patriæ ſuæ naturalibus doctiſſime plurimis in ſcriptis, ita & de his quoque in tractatu Germanico, qui Beſchreibung der Natur-Geſchichten des Schweitzer-Landes inſignitur, egregie diſſeruit, plura ſimul recenſens hominum his molibus oppreſſorum exempla. Oculis ipſis intenſa nivium lux & nimia adverſa, non raro animantia imo ipſos homines imprimis viatores quaſi oculorum lumine orbat, ſie werden Schnee-blind/ a ſplendida namque & vehementi luce offendi oculos certum eſt; unde potius ab hac cauſa quam a Spiritu niveo acuto flammæ in morem incidente, oculorum læſio deducenda eſſe videtur. Immerſæ manus nivibus vehementer incaleſcunt & ardo-

ardore quodam moleſto rubent. Augetur calor ſi manibus *Nix* teratur, quod in globulis conficiendis pueri factitare ſolent, quippe diſſoluta *Nix* internum calorem facilius exſerit. Pedes porro ambulantium ſæpe *Nix* adurit, & a nive ampullæ phlyctænæve cum pernionibus maximæ excitatæ viſæ ſunt. Ex *Nivis* frigore per pulmones hauſto lipothymiam oriri, ſanguinis circuitu per frigus impedito & retardato, Bulimiam vero, qua corripi dicuntur ii, qui diu dum ningit vel inter nives iter faciunt, a ſalina Nivis vi excitari, laudatiſſimus noſter BARTHOLINUS putat, qui inſuper refert eſſe ſtatuentes Bronchocelen Alpicolarum ab aquarum nivalium potu derivandam eſſe. Nimia porro refrigeratione gulam lædit, deglutitionem impedit, raucedinem conciliat, tuſſes movet atque aſthmatis genera, catharrhales defluxiones cauſatur, reſpirandi difficultatem inducit, pectoriſque gravitatem, Febres ſitimque concitat, imo ipſam quoque vi-

tam eripit , ne dicam jam multa de aliis malis, quæ a *Nive* ventriculo aliisque partibus infenſa & præſertim etiam in negotio menſium turbas excitante oriuntur. Claudo ſermonem de *Nive*, monitum BARTHOLINIANUM ſubnectens, eam ocioſis, ſenibus, pueris atque gravidis non adeo proficuam exiſtere.

§. V.

Accedo ad *Meteora aërea*, ventos videlicet, de quorum effectibus ſi ſingula referre vellem, tractatu fere integro opus eſſet, adeoque de noxis tantummodo eorum dicturus, ea, qua potero brevitate incedam. Solent communiter dividi *venti* in *ordinarios* & *extraordinarios*. Hi horrendo quandoque impetu ſæviunt, terras & maria, ut cum SCHILLINGIO in DISSERTATIONE DE VENTIS loquar, concutiunt, naves ſubmergunt, turtes dejiciunt, ſata & arbores ſternunt & alia incommoda mortalibus afferunt. Illi nempe *ordinarii* , ratione plagarum mundi e quibus ſpirant, diverſa obtinuerunt nomina. Audiamus OVIDIUM ita canentem :

Hunc

Hunc modo purpureo ſpirans venit Eurus ab ortu,
Et Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt.
At gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto,
Et Notus adverſa prælia fronte gerit.

Hi jam *Venti Cardinales* cum ſuis intermediis diverſis quoque qualitatibus gaudent. *Venti* videlicet *Orientales* e terris calidioribus & ſiccioribus ſpirantes, *calidi* & *ſicci* exiſtimantur, id quod tamen differt pro diverſo regionum ſitu. *Occidentales* ex Oceano flantes plurima effluvia humida & frigida ſecum vehentes, ſunt *frigidi & humidi*. *Meridionales*, per mare Mediterraneum ad nos devenientes, vapores calidos afferentes, *calidi & humidi* dicuntur. *Septentrionales* ex Borealibus locis frigida & ſicca adducentes effluvia *frigidi* atque *ſicci* aſſeruntur. Diverſimode itaque hominibus infenſi eſſe poſſunt, prouti hæc vel illa qualitas, ut cum veteribus loquar, prædominatur. Audiamus rurſus HIPPOCRATEM, qui de noxa

ventorum *Sect.* 3. *Aphoſ.* 5. ita diſſerit: *Auſtri auditum hebetant illique graves ſunt, caliginoſi & tenebroſi, nec non & capitis gravitatem, ſegnitiem ſeu lentitudinem & corporis laxitatem adferunt. Quotiescunque itaque Auſter diu multumque dominatum tenuerit, hujusmodi fere ſymptomatibus per morbos afficiuntur homines. Si autem Aquilo terras perflat, tuſſes movet, eveniunt faucium morbi, alvi duræ, urinæ difficultates cum horrore conjunctæ, dolores laterum atque pectoris. Quotiescunque ergo is diu multumque dominatum tenuerit, talia fere in morbis expectare oportet.* Cui merito adhuc jungendus eſt. *Aphoriſmus* 17. *ejusd. Sect.* quem ita legimus: *Quod ad tempeſtates cottidianas attinet, Aquiloniæ quidem ſolida reddunt corpora, tum etiam firma & ad motum expedita & bene colorata, auditum acuunt, ſed tamen alvos deſiccant, & ſi quis ante dolor in thorace extiterit eum acerbiorem reddunt. At vero Auſtrinæ, corpora plane reſolvunt, & humidiora reddunt, tum*

etiam

etiam auditus graves & capitis gravitates & vertigines inducunt tenebricoſas, tum ipſis oculis totique corpori in movendo difficultatem adferunt alvumque humidam reddunt. Quibus junge ea, quæ in reliquis prædictæ Sectionis aphoriſmis de ventorum vi continentur. Conſentit FRANCISCUS BACO de VERULAMIO in *hiſtoria ventorum,* in hæc erumpens verba: *Flante auſtro, anhelitus hominum magis fœtet, appetitus animalium dejicitur magis, morbi peſtilentes graſſantur, gravedines incumbunt, homines magis pigri ſunt & hebetes. At flante Borea, magis alacres, ſani, avidiores cibi. Phtiſicis tamen nocet Boreas & tuſſiculoſis & podagricis & omni fluxui acuto.* Non poſſum non hac occaſione perſtringere peſſimum iſtum morem quorundam, qui vel nocturno tempore feneſtris apertis dormiunt, vel regnantibus ventis, minus bene veſtiti aut tecti incedunt, cum vel exiguus ventus poros corporis, ſomni præprimis tempore relaxatos & apertiores, conſtringere capax

capax ſit & ſuppreſſa tranſpiratione morbos inferre poſſit. Corpora itaque contra talem ventorum vim munienda ſunt, & dormiendum in conclavibus clauſis, & veſtimenta decentia adhibenda, furente Æolo.

§. VI.

Ad Meteora aërea refertur quoque a quibusdam *Terræ motus* , terribile iſtud & haud raro funeſtum Phænomenon, quod maximum mortalium mentibus incutit metum. Magnus iſte SENECA *Lib.* 6. *qu. nat. c.* I. ita loquitur : *Quid cuiquam ſatis tutum videri poteſt, ſi mundus ipſe concutitur & partes ejus ſolidiſſimæ labant. Si quod unum immobile eſt in illo fixumque, ut cuncta in ſe intenta ſuſtineat, fluctuat: ſi quod proprium habet terra, perdidit, ſtare; ubi tandem reſident metus noſtri. Quod corpora receptaculum invenient, quo ſolliciti confugient, ſi ab imo metus naſcitur & funditus trahitur. Conſternatio omnium eſt, ubi tecta crepuere & ruina ſignum dedit; tunc præceps quisque*

que ſe proripit, & penates ſuos deſerit, ac ſe publico credit. Quam latebram proſpicimus, quod auxilium, ſi orbis ipſe ruinas agitet, ſi hoc, quod nos tuetur ac ſuſtinet, ſupra quod urbes ſitæ ſunt, quod fundamentum quidam orbis dixerunt diſcedit, ac titubat, quid ibi eſſe non dico auxilii, ſed ſolatii poteſt, ubi timor fugam perdidit. Quid eſt inquam ſatis munitum? quid ad tutelam alterius ac ſui firmum? Hoſtem muro repellam, præruptæ altitudinis caſtella vel magnos exercitus difficultate aditus morabuntur. A tempeſtate nos vindicant portus. Nimborum vim effuſam & ſine fine cadentes aquas tecta propellunt, fugientes non ſequitur incendium, adverſus tonitrua & minas cœli ſubterraneæ domus, & defoſſi in altum ſpecus remedia ſunt. Ignis ille cœleſtis non transverberat terram, ſed exiguo ejus objectu retunditur. In peſtilentia mutare ſedes licet. Nullum malum ſine effugio eſt. Nunquam fulmina populos percuſſerunt: Peſtilens cœlum exhauſit urbes

D non

non abſtulit. Hoc malum latiſſime patet, inevitabile, avidum, publice noxium. Non enim domos ſolum aut familias aut urbes ſingulas haurit, ſed gentes totas regionesque ſubvertit, & modo ruinis operit, modo in altam voraginem condit, ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non eſt, ſaltem fuiſſe, ſed ſupra nobiliſſimas urbes ſine ullo veſtigio prioris habitus ſolum extenditur. Refertæ ſunt hiſtoriæ triſtiſſimis talium calamitatum exemplis. Præterea terræ-motus quandoque morbos varios contagioſos, peſtilentioſos, imo ipſam peſtem poſt ſe trahit, quatenus exhalationes variæ malignæ ex tellure elevatæ cum aëre inſpirantur aut cum aquis frugibusque mixtæ aſſumuntur, hocque modo in œconomiam corporum graſſantur. Curioſum eſt, quod HONORATUS FABRI ex quodam recenſet, ejusmodi halitum aliquando omnibus animantibus peſtilentem fuiſſe, ſolis inter homines Eunuchis exceptis; addit tamen hoc aliqui pro fabula habent

habent, & ego quoque fabulam eſſe exiſtimo.

§. VI.

Dum *ignea Meteora* illuſtranda aggredior triga ſtatim terribilium phænomenorum ſe offert, *Fulgur* videlicet der Blitz/ *Tonitru* der Donner atque *Fulmen* der Strahl. Fulgur equidem non tantopere corporibus animantium nocet, niſi quod oculos diu ſplendorem ignis conſpicientium lædat, interim tamen nihilominus, ſi paulo vehementius reſplendeat, haud exiguum animis timorem ingerit, quem detonans cœlum utique adauget. Et quem non percellerent tanto cum impetu tumultuantes reboanteſque aëris vibrationes, tantaque cum vi auditus organum ferientes. Reperiuntur certe qui tam horrendum ſonum adeo expaveſcunt, ut quovis modo impedimenta quærant, ne in aures illabatur. Surditatem inferre poſſe *Tonitru* diſrumpendo tympanum aut aliter lædendo aures, iis, quibus tormentorum bellicorum exploſorum effe-

ctus noti ſunt, facile patet, idque eo magis, quod fragorem tonitru horriſonum vinum in vappam convertiſſe conſtet. Exemplum ſurdi ab audito fulminis ictu ſuppeditat P. BORELLUS *Cent*: 4. *obſ*. 3. Tonitru herniam cauſantem recenſet DN. JOH. THEOD. MOEREN *in Ephem. Nat. Cur. Dec*. 2. *ao*. 4. *obſ*. 49. Verba ita ſe habent: *Juvenis erat viginti & unius annorum, Patria vix hora diſtat Dieſſeldorpio, ubi ante binos annos Molendinum inhabitaverat, quod ex certi generis opere, quo pannus adhuc rudior majorem nanciſcitur in firmitudine perfectionem; in eo gravi ſe ſæpe panni mole preſſum fuiſſe referebat. Uſque dum certo æſtatis tempore gravius ſolito pondus humeris impoſuiſſet, atque ex ea mole quendam circa inguina dolorem ſenſiſſet. Poſt aliquot inde dies ex æſtu Cœli nimio pluviasque jam procul minitante domum veniens circa prandium cæteros homines invenit menſæ aſſidere, quibus ſe jungens avide cibum hiante ſtomacho excepit.*

Jam

Jam acrius inſtabat ventus, nimbi fulgura, tonitrua, ſed commenſales ex hoc nil moti, menſam adhuc pleno ore circumſtant, & ſubito fortius roboante tonitru, inſolitoque fragore deſcendente ſe procubuiſſe in terram ſcroti pubisque dolorem alte incuſando teſtabatur. Cæteris nihil niſi iſthoc terrore concuſſis elevatus & Chirurgo comiſſus ex tonitru eum in Herniam incidiſſe conſtabat, cum quid ex corpore in ſcrotum prolapſum eſſe accuratiſſime ſenſerit & exinde per binos ſequentes annos perpetuum ſibi auræ mutandique aeris Calendarium fuiſſe hanc Herniam aſſeruerit. Ad abortum etiam contribuere poſſe videtur tonitru, juxta GALENUM *L. de Ther. ad Pis.* mulieris, ſi tonitru audiiſſet, fœtum ejicientis mentionem facientem, cum & Vox Domini parturire faciat Cervas, juxta PSALM. 29. V. 9. qualem effectum ſed feliciorem etiam in Hominibus accidiſſe memorat CHR. FRID. GARMANNUS *in Eph. N. C. Dec.* 3. *ao.* 7 & 8. *Obſ.* 136. ita de to-

nitru obſtetricante loquens : *In oppido uno milliari a Chemnicio diſtanti Scriniarii uxor in puerperio difficili & periculoſo totam noctem & medium diem irata Lucina in caſſum exegerat. Res videbatur conclamata & ob virium defectum & dolores non amplius recurrentes feralis labor. Quid fit ? Exitialis multis tonitru fragor & fulmen Puerperæ ſalutaris tonuit & luxit. Illa namque a partu fere enecata terrore reſuſcitatur, dumque minacem tonitru ſonum auribus haurit, eo ipſo momento ſanum vegetumqun excludit filiolum, qui cum matre ſana & ipſe ſanus adhuc vitali veſcitur aura.* Curioſiſſimum eſt exemplum quod referunt ACTA ANGLICA PHILOSOPHICA ao. 1667. ſequentibus verbis : *Fœmina Raymundi de Stovo Marcket, quandocunque tonitru percipit, etſi e longinquo, corporis morbo afficitur, debilitatur, ſtomachi infirmitate laborat, pronaque eſt in vomitum. In ipſo momento incidit in Choleram & perſeverat in vomitu & profluvio*

vio ventris , quoad tempeſtas durat , atque modo vehementiore , quam ſolent procurari medicamentis in hunc finem præſcribi ſolitis. Et ita ſe habuit fœmina illa a pueritia. Nec minus admiratione dignum, quod refert HELMONTIUS *in Jur. duumv: Vidi*, inquiens, 1615 *Aloſti puellam novennem ſat petulantem, filiolam Villici Xenodochii , quæ jam a triennio nihil prorſus commederat , niſi quod forte per octiduum aut amplius biberet quatuor circiter cochlearia aquæ puræ. Etenim a tonitru primum inſigniter terrefacta edere ceſſaverat.*

§. VII.

Tremebundo jam corde vacillanteque calamo literas in chartam conjicio , dum nunc mihi de , extremum animis imprimente ſtuporem, *fulmine* , dem Strahl verba facienda veniunt. Utique hic exclamandum eſt. O Abyſſus Summi Numinis Omnipotentiæ , quam imperſcrutabiles ſunt Dei Fulminantis vires, quam incomprehenſibiles Armorum Domini

Domi-

Dominantium irati effectus. Venite & explicate vos Naturæ Conſulti & qui ſupra eos ſapere vultis tam ſtupenda miracula. Demonſtrate tam potentem Naturam, exponite tam inexplicabilia Phænomina. Deus hic eſt, qui licet mediis quoque naturalibus in vibrandis fulminibus utatur, adeo tamen mirabilis eſt in ſuis operibus, ut intellectus humanus iis dijudicandis longe impar ſit. Non dicam jam de eo, quod dolia exhauriantur intactis operimentis, quod loculis, ut SENECA jam retulit, integris ac illæſis conſletur argentum, manente vagina liqueſcat enſis, ſtet fracto dolio vinum, ædes nunc accendantur, disjiciantur & quæ ſunt alia horrenda fulminum effecta, ſed ſolummodo paucis declarabo, quid in corpus humanum agat tam terribile Meteorum. Tot autem proſtant exempla, ut charta vix ſufficeret ad ea enarranda, adeoque aliquot tantummodo luſtrabo. Sæpe homines in terram ſolummodo proſternit absque ullo alio inflicto damno: quan-

quandoque pilos in corpore abſumit & adurit, reliquis partibus imo etiam veſtimentis, quibus pili tegebantur, ſalvis. Referri hic poſſunt verba CASPARIS SCHOTTI in *Phys. Cur. Lib. II de mirab. meteor.* ita diſſerentis: *Novi ego Panormi in Sicilia natione Gallum, qui hujus rei luculentum præbuit in ſe ipſo experimentum. Celebrabatur ao.* 1637.*prima Dominica Decembris, in Collegio Jeſuitarum Franciſci Xaverii feſtum antepomeridiano tempore, quo dictus Religioſus in laterali quodam Templi Sacello inter confertam hominum turbam orationi vacabat. Ingruit interim ſæva tempeſtas & fulmen ſpectantibus cunctis cadens in Templum ſerpit per ſuperiores parietes, atque in dictum Sacellum deſcendens proſtrat in terram quotquot aderant, ſed neminem unum lædit. Solum deprehendit poſtea dictus Religioſus omnes totius corporis pilos, veſtibus tectos, fuiſſe ambuſtos atque conſumptos, reliquis cum veſtibus illæſis.* Jam a materia ſalino-ſulphurea, qua fulmen

men ſcatet, aduſtionem cauſari poſſe nemo dubitat, aſt cur reliqui pili, cur veſtimenta ex materia æque combuſtibili contexta, ſarta tectaque permanſerunt. Similem pilorum fulmine combuſtorum hiſtoriam ſuppeditat BORELLUS *Cent.* 2. *Obs.* 38. Non ſolummodo autem adurit fulmen, ſed & concutit atque varia infligit vulnera. Sic modo citatus Author refert de *puella, cujus caput in uno loco fulmen tetigit, ut cutis & caro a cranio ſepararentur, unde ante & retro ad anum uſque deſcendit, quæ tamen ruſus curata fuit.* SCALIGER *in* EXERCITAT. refert, *Se Bubulcum percontatum eſſe, quo authore haberet auriculam perforatam (pertuderat enim fulmen tenuiſſima trajectione) at ille amens atque attonitus nunquam recte ſapere aut loqui poſtea valuit.* Attonitos enim non ſolummodo ſed & dementes reddi a fulmine tradunt Authores. Juxta WOLFFIUM *ao.* 1158 *quibusdam equitibus pedes graviter fuere percuſſi, ocreis plane non tactis.* Haud exiguam

guam quoque admirationem parit *vulnus a fulmine pectori Publicani Lauſſenburgenſis ao.* 1603 *inflictum, ita ut per aperturam cor conſpici potuerit*, quod tamen ex benignitate Summi Numinis ſanationem rurſus admiſit. Summum talia incutiunt terrorem, aſt magis feriunt, quando tam tremendis ignibus vitam ipſam, ſalvo quoque ſæpius ipſo corpore, eripi cernimus. Id quod inter alia exinde dependere poſſe quidam aſſerunt, quod a materia fulminis ſulphurea ſuffocatio oriatur, unde ſuadent, ut tempeſtate præſente feneſtræ adaperiantur, quo exhalationibus ſulphureis exitus liberior pateat, ſuffocationisque metus arceatur. Et forſan ita ſuffocati fuere *duo iſti amantes bracchiis ſe invicem amplexi*, *qui inter* 165. *fulguritos ao.* 1339 *reperti fuere*, teſtante HOFFM. TRACT. DE TONITRU. In ipſa hac Urbe Argentinenſi ſuperiore anno juvenis fulmine ſubito interemptus eſt. Dum enim ſcalam deſcendens, ſocioque qui ipſum comitari volebat, va-

ledicere volens, ſeſe converteret, ecce ſubito feralis nubibus exploſus ignis loquentis ori afflatus, de ſcala mortuum præcipitem agit, nullo alio inflicto corpori nocumento, præter exiguam in collo maculam. Socius quoque, qui igneis fulminis telis dorſum obverterat, nullam aliam læſionem quam Lipothymiam ex terrore perſenſit. Unde SCHEUZERUS aliique ſuadent, ut homines, dum fulmine domum tactam eſſe percipiunt, ſeſe ſtatim humi proſternant os ſolo obvertentes, ne fumus fulmineus, undecunque etiam advenerit, in pulmones irruat. Quid autem ejusmodi exhalationes ſulphureo ſalinæ, qualem naturam & in fulmine adeſſe odor haud raro demonſtrat, efficere poſſint vel ipſum carbonum Gas, ut cum HELMONTIO loquar, demonſtrat, dum in conclavi clauſo ſæpiſſime jam mortem intulit. Cum autem fulmen longe ſit penetrantius, quid mirum quod & in aperto aëre talis inducatur ſuffocatio. Exemplum, quod a CARDANO

L. 8.

L. 8. *variet. C.* 43. narratur, miraculorum quoque eſt plenum *Referunt,* inquit, *in Lemno Inſula, ubi Inſulæ cornu dividitur, octo Meſſores ſub quercu cœnantes a fulmine percuſſos atque exanimatos manſiſſe ſub ea ſpecie, qua diſcubuerant, ut unus comedere videretur, alter ori poculum manu admovere, alius bibere. Cumque nigri omnes eſſent imaginem ſtatuarum totidem repræſentabant.* Magna hæc ſunt & ſtupenda, ſed majora adhuc percipite. Fulmen comminuiſſe ac attriviſſe oſſa, intacta carne, fœtum intra uterum occidiſſe, ſalva relicta matre, Scriptores Annalium memorant. Maxima autem ſunt, quando corpora horribili modo percuſſa in cineres redacta, imo quaſi annihilata a fulminum ictibus fuiſſe, edocemur. Meretur hic allegari hiſtoria, quæ continetur in ACTIS ANGLICANIS ao. 1666 communicataque fuit a THOMA NEALE, Equite, tum temporis Vice Comite Comitatus vulgo dicti Hampshire. Ita autem ſe habet. *Ao.* 1666.

 24.

24 *Januar. quidam appellatus Broocks Hampſhirenſis, Winceſtria tendens domum ſuam, prope Andoves graviſſima tempeſtate fulguris ictu occiſus eſt una cum equo, quo vehebatur. Nam loco uno circiter milliari diſtante Winceſtria repertus eſt, facie in terram impacta altero pede in ſtapede, altero in juba equi, veſtimentis omnibus a tergo exuſtis, ne particula quidem ſudarii integra relicta, omnibus crinibus ac toto corpore aduſtis. Violentia, qua proſtratus eſt, naſus ejus in interiora capitis, maxilla in pectus incuſſa, ubi repertum eſt vulnus inflictum, quod umbilicum fere contingeret; veſtimentorum ejus laceratorum minutiſſimæ particulæ adeo erant diſperſæ & conſumptæ, ut nequaquam tantum illarum colligi potuerit, quantum cavitas pilei capere potis erat. Chirothecæ erant integræ, ſed manus in eis ad oſſa uſque aduſtæ. Os coxæ & armus Equi combuſta erant & comminuta, & Ephippium diſſectum in partes minutiſſimas.* Intime equidem commovent triſtiſſima

hæc

hæc fata, ſed ad ſequentem hiſtoriam obſtupeſcimus plane, ſtant comæ voxque faucibus hæret, quæ refertur a pluribus, FROMONDO, VANDER VEENE, BECCHMANNO &c. *In Flandria* ſc. *Publicanus quidam Gerardimontenſis, pejerando in horrenda hæc eruperat verba. Quod ſi reus ſum ejus, quod accuſor, Deus faciat, ut in conſpectu veſtro a fulmine in pulverem redigar. Dictum factum, Divina vindicta terribili fulminis igne, ſceleſtum hominem feriens in momento in cineres mox vento diflandos redegit:* qua de re HENRICUS CULEUS Paſtor illius loci hoc modo cecinit.

Pulverem humana vidi ſub mole Cadaver,
In tanto nuſquam corpore corpus erat.
Omnia pulvis erant; iterum dico: omnia pulvis:
Et verſa in cineres, machina tanta fuit.
Omnia pulvis, erant, Cervix, Caput, Ilia, Nervi,

Oſſaque

Oſſaque cum pleno Ventre, Saburra, Nates
Pulvis erant crurum tenus omnia, qua velut ictu
Indeclinato cæſa fuiſſe putes.

Quid autem tandem dicere poſſumus, quando homines fulmine ita conſumuntur, ut nihil plane de iis remaneat conſpicuum. Narrat hoc MEURERUS IN METOR. de quodam, per fulmen in via, qua Lipſia itur Torgam, ita evaneſcente, ut nemo amplius aliquid de eo potuerit retegere. Allegatis ex exemplis, ut infinitis aliis ſuperſedeam, certe aſſertum ſuperius datum ſatis colluſtrari poteſt. Mihi omnia phænomena allegata ſimiliaque a Phyſicis accurate explicari poſſe non videtur. Sæpiſſime hic dicendum, digito compeſce labellum.

§. VIII.

Quod ſi jam plura ejusmodi terribilia meteora conjungantur, *tempeſtatesque aqueæ cum ventoſis, aqueæ atque ventoſæ cum igneis* miſceantur, O quanta lerna ma-

malorum in corpora inanimata exinde oritur æque ac animata. Videbis hic ſtragem arborum radicibus erutarum confractarumque, ibi occurrent innumeri lateres caminique de tectis abrepti, orbesque vitrei millena in fruſta comminuti. Nunc ædes titubabunt, nunc concuſſæ integræ Urbes ſub ruina ſua occiſorum mortalium agmina occultabunt, nunc navigia in maribus cum omnibus ad abyſſum præcipitabunt, nunc viros cum incolis ita abſorbebunt ejusmodi tempeſtates, ut ubi plures antea conſpicere datum erat, amœniſſimos campos; profundiſſimus ſe offerat lacus. Hic deprehendes plurimis affectibus, a frigore, calore, ventis atque igne laborantes ægros, illic diffracta lapſu domiciliorum membra tibi oſtendentur. Terricolæ, qui modo de ſalubritate Athmosphæræ ſibi gratulabantur, mox de ejusdem vitio ab effluviis ſumme noxiis prodeunte vitæque inſidias ſtruente conquerebuntur. Hiſtoriæ plenæ ſunt de ejusmodi tempeſtatibus homines tum

interimentibus, tum in adverſam valetudinem, haud infrequenter, conjicientibus.

§. VIIII.

Quod reliqua tandem concernit *Meteora ignea* ſive in ſuperficie globi terraquei hærentia, ſive in aëre volitantia, uti ſunt *ignis fatuus*, *ignis lambens*, *ſtellæ cadentes*, *faces*, *trabes*, *dracones volantes* & ſimilia, illa terrorem potius imprimendo agere videntur. Exemplo ſint *ignes fatui*, qui rei ignaris timidisque difficilem reſpirationem cauſantur, anhelantes inſequuntur, ſicque adhuc magis angunt, dum interim innoxie corporibus inſident, absque ulla aduſtionis nota. Nec obſtat quod viatores ad aquas, ad devia præcipitiaque quandoque ſeducant, cum illud potius errori meticuloſorum, quam Meteoro veniat adſcribendum. Hoc interim negari non poteſt, quod copia talium phænomenorum athmosphæram effluviis ſulphureis plus minus ſalinis ſcatere indicet, unde cum illam continuo haurire cogamur, ſanitas quoque alterati atque

que labefactari exinde poterit. Et qualem alium effectum edere queunt vel *ignes lambentes* ex ipſorum animantium corporibus haud raro prodeuntes, vel *faculæ* ſic dictæ *ferales* ex locis ſtercoroſis ut plurimum ortum trahentes, ne dicam jam de reliquis. Id autem, quod modo de ultimis his Meteoris igneis monitum fuit, æque quoque ad *Meteora* Emphatica, qualia ſunt, *Irides*, *Halones*, *Parrhelii*, *Exercitus pugnantes*, applicari poſſunt, a quorum conſpectu frequenter terrentur Mortales, ut contremiſcant & præ metu in varia prolabantur ſymptomata morboſa. Hactenus jam de effectu Meteororum morboſo ſæpiusque lethali dicta ſufficiant. Potuiſſent plura diffuſius utique explanari, potuiſſem etiam prolixius in cauſas inquirere, potuiſſem denique etiam curationem atque præſervationem poſſibilem læſionum introductarum perſcrutari. Imprimis autem ſe obtuliſſet occaſio de egregio iſto phænomeno diſſerendi, quo obſervamus haud paucos reperiri mortales, qui

tanquam aërometrum fere, tempeſtates ſive ex naturali diſpoſitione, ſive ex educationis vitio, ſive ex alia cauſa præſentiunt, variaque illis vel imminentibus vel jam præſentibus patiuntur Symptomata. Verum quoniam hæc res altioris eſt indaginis, & ego ſpecimen effectuum tantummodo morboſorum tradere animo conſtitueram, Ben. Lectorem, qualicunque ſpecimine hocce contententus eſſe haud dedignetur, rurſus decenter rogito, doctiorem uberioremque materiæ hujus explanationem eruditiori ingenio politiorique calamo commendans. Deo ſit Laus Honor & Gloria in Seculorum Secula.

FINIS.